Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 967

Quelle:
Copyright:

Hegenenſe Collegium Can. Reg. in Dioec. *Wormat.* initia ſumſit circa an. 1135. *Hegenebenſe* vero Coenobium O. Ciſt. in *Haſſia* fortaſſe antiquius fuit. Utriusque tamen aetatem praeſtans hic *Codex*, ut dictum, longe excedit. Igitur adquiſitum tantum ab alterutro oportuit.

CCLXX. VII. C. 26.

183 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 242. f. currente calamo ſcriptus complectitur ſequentia: I. *Iſidori Hiſpalenſ.* Ep. Scriptoris Sec. VII. Opus *de Nativitate Domini, Paſſione, Reſurrectione, Regno atque Judicio* ad Sororem ſuam *Florentinam.* Ad quam Praefatiuncula incipit: *Quedam que in diuerſis temporibus in ueteris teſtamenti libris premunciata ſunt* &c. Opus ipſum: *Judei nepharia incredulitate chriſtum dei filium abnegantes* &c. ultima ejus verba ſunt: *quia thabernaculum dei ſancti eius ſunt, in quibus habitat in eternum.* Rectius certe, quam in *Jac. Du Breul* edit. *Opp. Iſidori* noſtri *Pariſ.* 1601. f. ubi lacinia p. 579. adſuta evidenter ad alium Tractatum, ſcilicet ad *Allegorias*, vel plane ad *Eucherii Lugd. Formulas ſpiritualis Intelligentiae* pertinet. Librarius noſter adjecit: *Explicit liber yſidori Toletani.* Vide et *Cod.* praeced.

II. *fol.* 26. *Incipit pharetra fidei chriſtiane contra iniquos iudeos.* Dialogus eſt inter *Eccleſiam* et *Synagogam* conſtans *Partibus* II. quarum priore errores talmudici refutantur, poſteriore conſtabilitur religionis chriſtianae veritas. Praefatiunculae initium eſt: *Acuite ſagittas, implete pharetras ad proſternendas vulpeculas* &c. Libellum hunc in *Hiſpania* olim repertum, referente *Nic. Antonio Bibl. Vet. Hiſp.* T. II. p. 261. typis dedit in 4. absque loci mentione *Gundiſalv. Garſias a S. Maria.* Extat et *Lipſiae per Conr. Kachelouen* 1494. 4. Autorem *Hiſpanum* ſuſpicatur *Antonius*, eo, quod neminem Patrum praeter *Iſidorum Hiſpal.* citet; ſed *Echardus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 739. mavult illum *Gallum* et quidem Ordinis ſui, ex illis P. I. c. 9. nobis *fol.* 29. p. 2. verbis: *Quare ergo non ſtatim punitus fuit rex francie, qui non ſolum deriſit ſed etiam combuſſit omnes libros thalmuth in regno ſuo, et quare non fuerunt puniti fratres predicatores, qui hoc ordinauerunt?* Diſpiciat Lector adhibito tamen in Conſilium *Cod.* CCCLXV. ubi Autor *Theobaldus O. P.* audit. Tempus ſcriptionis inde liquet, quod P. I. c. 4. nobis *fol.* 28. p. 2. dicantur Judaei jam *mille trecentis annis* clamare, ut de manibus Chriſtianorum liberentur.

III. *fol.* 42. p. 2. Tractatus contra *Huſſitas*, qui *Cod.* CCCCXII. indicatus, ibique in ſubſcriptione ſoli *Petro de Pulka* tributus eſt, quique incipit: *Juſſit Reuerendiſſima veſtra Paternitas ac metuendiſſima dominatio* &c. hic ſequenti gaudet clauſula: *Explicit*